

neat. Indiget .n. hodie Ecclesia non violentia,  
sed consilio piorum & doctorum virorum, & de-  
liberatione de multis magnis rebus. Huic respon-  
so Mercurini, Caesar assurgens astipulatur, & eò  
Pontificem pertrahit, ut is in Concilium indicen-  
dum consentiat. Pontificij quasi triumphum ce-  
lebrare incipiunt, & pollicentur sibi interitum  
Protestantium, siue Lutheranorum, uti vocabant.  
Iohannes Elector Saxonie, qui fratri Friderico  
successerat, preparat se alacri animo ad Comi-  
tia Augustana, & Torgam conuocat Lutherum,  
Philippum, Ionam: qui, cum 17. capita à Luthe-  
ro, iuxta quæ Confessio integra scriberetur, ut po-  
stea Augusta factum est, composita essent, inde  
iter ingressi, cum Coburgam venissent, Lutherum  
ibi in arce, quam etiam Pathmon Lutheri postea  
nominarunt, grauius de causis relinquunt, ne sci-  
licet hostes presentia ipsius exacerbentur & rin-  
gantur, & ut in vicinia habeant salutarium  
actionum quasi directorem. Aaron vero frater  
Mosis, hoc est, Philippus, Augustam cum Ele-  
ctore se confert, cuius Celsitas inter primos est,  
qui adueniunt, aduersarijs longè aliud sibi poli-  
centibus, non compariturum scilicet Electorem  
esse. Et quia conciones habent nostri publicas, Pon-  
tificij apud Casarem, qui nondum tamen aderat,  
efficiunt, ut illæ prohibeantur, quod post multas  
actiones, & quidem primum, cum Caesar adue-  
nisset, hac conditione conceditur, ut Pontificijs  
etiam

etiam